



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Angeli Cvstodis Ad Hvgonem Grotivm Svper Nvpero Eivs  
Carcere Paræneticon**

**Hemelaers, Jan**

**Antverpiae, 1621**

Eivsdem Epigrammata In Arcam Ligneam Hvgonis Grotii Assertricem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70494](#)

39.

EIVSDEM EPIGRAMMATA  
IN  
ARCAM LIGNEAM  
HVGONIS GROTI  
ASSERTRICEM.

DVRATE I memoratur equi texisse sub aluo  
Graugenas, fraudum in Troas fabricator  
Epeüs.

Machina at hæc quāuis proceres celasse feratur,  
Clrior illa tamen mihi nobiliōrque videtur  
Venturis celebranda viris, quæ audace reperto  
ARCA virum texit, quæ GROTI condidit artus  
Spirantis, dominum quæ tristibus extulit antris,  
Custodesque manus, custodum innixa lacertis,  
Secreti & magni custodia certa fefellit.  
Qui dubitat, mecum capsam componat vtramque.  
Attulit illa dolos infida, hæc fida salutem.  
Illa hostes inuexit, at hæc euexit amicum.  
Matribus Iliacis pestis fuit illa virilisque,  
Hæc domino, vxori, & gnatis tutela salusque.  
Illa dedit ferro ac flammâ graffante ruinam  
Imperio atque vrbi, Priami bustumque reliquit.  
Securis habitare lupis catulisque ferarum:  
Hæc, ne mens traheret Groti corpūsve ruinam,  
Ingeniumque viri obscuro marcesceret antro,  
Et miserè infami latitaret in arce sepultum,  
Tum (quod erit, simul ut radi) strictura superna  
Accedet, quem sollicitant pia vota bonorum)

Ne



Ne secli sorderet Honor, dignissimus annis,  
 Ne tanto ante diem dextrâ demelus iniquâ  
 Hosti ludibrium, luctum deberet amicis,  
 Subsidium vna fuit, sacra anchora, & ara salutis.  
 Quin etiam noua si liceat conferre vetustis,  
 Herôas olim quæ prima per æquora vexit,  
 Cuius Fama locum cœlestibus addidit astris,  
 Non mihi nobilior posthac memorabitur Argo:  
 Non quæ prima ratis cursu complectier orbem,  
 Magellane tibi intrepido noua dum fretu pandit,  
 Ausa fuit, cui condignum Victoria nomen  
 Et dedit, & memores iussit celebrare nepotes.  
 Vnū mihi ante alias semper, monumenta So-  
 phorum

Quæ tam sæpè tulit, quæ docti arcana magistri  
 Haud seruare rudis pridem, post condidit ipsum,  
 (Tunc etiam, in magno sed pectore, bibliotheca)  
 Incolumem & certis euexit fida periclis,  
 Depositi magni cultos celebrabitur ARCA.

## ALIVD IN EAMDEM.

**Q**VAE genus humanum, & mortalia secla  
 animantium  
 Semine in exiguo fatalibus extulit vndis  
 (Cùm Themis atq; atrox ter-magni Numinis ira  
 Omne tuum, Proteū, pecus altos visere montes  
 Compulit, & pauidas natitare per æquora damas)  
 Arca fuit, mundi instar habens, dum cetera victor  
 Neptunus vasto sepeliret gurgite ponti.  
 Quæ modo Grotiaden miserandi carceris antro  
 Eductum in dias prouexit luminis oras,

Arcta



Arcta licet, fuit **A R C A** capax, nec pondere magno  
 Succubuit, veluti sub iniquo fasce viator,  
 Ingenuitve premi. clari quin sæpè labores  
 Ingenij, Doctorum & opes perferre fidelis,  
 Et domino cultas portare assueta tabellas;  
 Illius extremuin mox ad selecta laborem  
 (Si ligno quis sensus ineft) concepit amorem  
 Prædulcis famæ, & celebranda volare petiuit  
 Docta per ora virūm, monstrari, & dicier, *Hæc est.*  
 Promptior ergo ipsum, quam, ut pridem, ferre  
 libellos,  
 Dum texit non pressit herum, non panda, cre-  
 pánsve  
 Prodidit, ast fidias hilarem traduxit in oras,  
 Optataque diü mox libertate beauit.  
 Dignam itaq; ad seros nomen transferre nepotes  
 Versibus æternis clari celebrate Poëtae.

### A L I V D.

**P**ELLAEI iuuenis (cui vasti ob cordis hiatum  
 Immensamque sitim laudis, sceptri atque  
 triumphi,  
 Ex populi palpo **MAGNI** cognaomen adhesit).  
 Dum nimis angusto queritur de limite mundi,  
 Terra haud visa capax fuit: ast (Babylone sepultū  
 Sex septēmve pedum tenuis dum continet arca)  
 Carceris ipse atrí tenebris adscriptus in æuum  
 Parte sui, atque alia manes detrusus ad imos,  
 Iamque suis oculis vilis, nimiumque pusillus  
 Vota hominū quantilla sient, quam vana fatetur.  
*Hugoni* (quem stirps, gentilis linguaq; **MAGNI**  
 Signa-



Signauit titulo, nec tanti nominis omen  
Permisit vacuum) postquam illum carceris antro  
Infami hostilis sepelisset factio turbæ,  
Quattuor A R C A pedum vitam, famam, atque  
salutem

Reddidit inclusō (fuit huius prouida consors  
Femina dux facti) quem pridem & perdere liuor  
Gestierat, frustrā patriæ dum iura vocantem  
Claustrorum tenebris damnauerat atque catenis,  
Vexatum in tristi diuis custodibus arce;

Maiorem ipsa sibi lætisque remisit amicis.

Magnū illum in viuis detexerat arca pusillum:  
Damnatū hunc, capitī ciuili & morte minutum  
Complexa Arca breuis tum libertate beauit,  
Tum Famæ immensis sublimem sustulit alis.  
Arcam igitur si quis rectè librārit utramque;  
Quantum surgenti concedit subruta famæ,  
Quantum sol oriens potior fugientibus astris,  
Vita redux morte est, & cæco carcere cœlum:  
Et quantum tenebris prestant noua lumina, dicer.  
Grotiada tantum Pellai cedere & Arcam.



CEN-